



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**R. P. Thomæ Tamburini Societatis Iesu Siculi
Caltanisettensis, In Alma Vniversitate nobilis Civitatis
Messanæ, Theologiæ Primarij Professoris. Explicatio
Decalogi Duabus distincta partibus**

In qua omnes ferè conscientiæ casus, ad decem Præcepta pertinentes,
mira brevitate, claritate, & quantum licet, benignitate declarantur

Continens sex Libros posteriores in Decalogum, id est, expositionem
præceptorum secundæ tabulæ

Tamburini, Tommaso

Monachii, Anno M.DC.LIX.

Mutuare cum pacto ut fiat, quod debetur ex Iustitia, num. 10.

urn:nbn:de:hbz:466:1-39995

8. Dixi iterum (ex mera liberalitate) nam proh quam periculosum est, ne, si hæc petitio vel pactum sit ante mutuum, degeneret in obligationem! nam propterea dictum modo est (per se, & speculatiue) in praxi enim omnino explodendum est ejusmodi pactum, vel præcedens petitio, quamvis signis & imperfectis verbis insinuata; quia hæc in praxi notant obligationem &c. Quod si in eas pactum obligans mutuatarium, ut omnino det aliquid ex gratitudine, clara est usura, quia clare superaddis obligationem; & merito Valentia f. docet, esse illicitum, in mutuo petere, quasi ex iustitia, amorem & benevolentiam, quia ex mutuo non debetur amor, nisi ex debito moralis & libero, non ex obligatione; multo igitur magis erit usura, mutuare cum pacto, ut mutuatarium frequentet tuum molendinum, ut emat à tali officina merces, &c. quia hæc essent gratamina supra sortem.

e Laym. l. 4. tr. 10. de Simonia. c. ult. §. n. 2. & 9. f. Val. t. 3. d. 4. q. 27. p. 2.

Mutuare cum pacto, ut fiat, quod debetur ex charitate.

9. Colligo secundo, an liceat pacisci, ut mutuatarium soluat, seu faciat, quod debet ex charitate. Medicus v. g. ex charitate debet mederi pauperi infirmo, si non sit alius, qui medeatur; Medico igitur huic licitè possumus dare mutuum, ea lege, ut ultra sortem ei pauperi opem ferat? respondeo, licitè ex Molina, g. illicitè & injustè ex Navarra h. Ratio huius est, quia sic adderemus onus ex iustitia,

cum antea solum fuerit ex charitate; ratio Molinae est, quia cum medicus absolute mederi debeat, non iudicatur moraliter superadditum ipsi esse onus novum. Vtrumque probabile.

g. Molin. d. 509. Caramuel. lib. 2. Theo. mor. n. 736. h. Navarra. lib. 3. c. 2. n. 351.

Mutuare cum pacto, ut fiat, quod debetur ex iustitia; ubi

An liceat Christiano, dare Turcis ad usuram?

10. Sed quid, si pactum sit, ut fiat id, quod ex iustitia quis debet? debet v. g. Petrus tibi 50. potestne illi mutuare alia 50. cum pacto, ut soluat centum? respondeo, posse: quia tunc non petis illa 50. ex vi mutui, sed ex vi iustitiæ, ante mutuum; hinc addit Navarra l. te posse mutuare cum usura ei, cum quo bellum iustum geris; sicut enim vi & bello illum spoliare potes, ita & usuris.

i Mol. ib. Dicast. l. 2. de iust. tr. 10. d. 2. dn. 3. n. 82. l. Navarra. ib. n. 146.

11. Quædam matrona subministrabat hic Panormi pecuniam cum usura Turcæ cuidam, prætextu, quod in Turcas nos iustum bellum habemus, ut illi nescio quis Confessarius posse insinuaverat. Profecto si Confessarius indoctus fuit, errasse mirum non est: si doctus, Navarra dictum debuit expendere, qui de hostibus loquitur, quos mutuatarium spoliare potest, non verò de his Turcis inter Christianos, in quos nullum